

16

DE
DISCIPLINA ECCLESIASTICA
DIGITO MAGIS DIVINI SPIRITVS
QVAM BRACHIO SECVLARI
INSTAVRANDA
PAVCIS DISSERIT

INCLVTAE
ACADEMIAE IENENSI
NATALEM

POST DVO SECvla

D. II. FEBRVAR. CIO IO CC LVIII

FELICITER REDEVNTEM

GRATVLATVRVS

D. SIGISMUNDVS BASCH

SACRORVM IN AVLA, VRBE ET DVCATV VINARIENS
ANTISTES.

VINARIAE,
LITTERIS MUMBACHIANIS.

16.



ACADEMIAE LENSICAE
HISTORIA

HISTORIA

DE ACADEMIA LENSICAE
HISTORIA



II. 2

§. I.

IAM in ea hominum societate, quae Seru-
toris doctrinam, ministerio legatorum
eius, amplexa erat, non pauci inuenie-
bantur, qui aut docendo, aut viuendo,
a veritate coelitus tradita, palam desci-
verant. * Duplici inde cura animus seruorum Iesu
afficiebatur: vna, vt errantes in rectam iterum viam
reducerent; altera, vt fidos Christi asseclas, contra
hasce fidei ac morum corruptelas munirent; qui labor,
A et

* * * *

et arduus et difficilis, disciplinae, quam vocant, ecclesiasticae, originem inter Christianos dedit, quae in gente Deo dilecta, antea ** iam vigebat.

* Actor. VIII, 9. f. r. Cor. V, 1. f. ad que loca Wolfii Curas philologicas et criticas in N. T. Tom. I. p. 1125. f. et T. II. p. 362 legisse neminem poenitebit.

** Est. X, 8. f. vbi in Bibliis sacris per Commentatores Anglos illustratis Tom. V. p. 71. ad c. VII, 26. f. ablegamur.

§. II.

Disciplina ecclesiastica est modus iuuandi lapsos. Per lapsos * intelligimus omnes, qui sententias verbo diuino contrarias incauti disseminant, et pertinaces defendunt, aut qui flagitiis inquinantur publicis. Modus iuuandi consideratur primum in iis, qui iuuant, et hoc sensu, est officium toti ecclesiae a Christo iniunctum, reuocandi peccatores ad saniores mentem; deinde in aliis, qui iuuantur, et tunc erit redditus aberrantium, cum resipuerint, ad consortium sacri coetus. Haec cogitantibus, iniusta poenae idea, quae notio piae antiquitati ignorata, ** non raro disciplinae affingitur ecclesiasticae, penitus euanescit.

In usu ecclesiastico illi fere intelliguntur lapsi, qui persecutionis tempore, minis aut tormentis cessere, quiue deicti prostrati iacentes a Cypriano dicuntur. Quemadmodum illi, qui in fide permanere, stantes appellati, quos Zacharias Prophetam videtur adumbrasse cap. III, 7. Ita Io. Fellus ad Cyprianum de lapsis, p. 121.

** Poe-

¶ Poenitentiam non fuisse ab initio introductam, ut medium puniendi delicta, satis constat. Enim vero postquam Seculo III. tempora et gradus ei praescripti, et severius cum lapsis actum est, immo postquam quibuslibet delictis, etiam occultis, poenitentia subeundae iugum, sub iacura salutis aeternae impositum, et tractu temporis dolores, cruciatus et varia mala, ei superaddita, poenitentia et esse et dici coepit poena. vid. Boehmeri Ius E. Protest. Tom. V. p. 656.

§. III.

Hoc officio ecclesia non ipsa quidem defungitur; sed sub magistratus auctoritate, ministris suis concessit, iisque seueram rogauit legem, ne hic prauo affectu obrepti quid agant. Quod neutquam fiet, si modo obseruent regulas, a Seruatore et legatis eius sollicite praescriptas, de gradibus admonitionis; hi consistunt in progressione vnius conatus ad alterum, in animabus Christo vindicandis. * Incipiunt hic Iesu serui per cohortationes ferias et iteratas; pergunt per increpationes, adscitis ab ecclesia testibus, solemnes; subsistunt in suspensione a sacris, quam illi tantum minantur, et superioribus decernendam relinquunt. Continuata haec, in arduo sane negotio, opera, insignem usum praefstat et diuini verbi interpretibus, et peccatoribus in grauiora facinora delapsis. Illi enim nouas subinde vires, ex largissimo gratiae diuinae apparatu, ne animum despondent, colligunt; hi autem amplius ex Dei indulgentia, deliberandi spatium nanciscuntur.

A 2

* Lyferus

* Lyferus in Harmon. euangel. continuata ad Matth. XVIII, 15. f. p. 516. Sic ergo Christus, fideles verbi ministros, prudentes medicos imitari docet, qui moebum aliquem curaturi, non statim extrema remedia adhibent, quae naturae vim allaturae videntur; sed prius tentant, talibus pharmaciis mederi. Si vero leuioribus, se nihil proficere sentiant; tum denum ad vehementiora illa transitum faciunt. Idem faciat verbi diuini minister.

§. IV.

Dici vix potest, quanta accuratione in arcendis a fidelium societate manifeste improbis, vbi fint, Iesu discipuli, eorumque successores, qui sanctum fidei depositum, intaminata conscientia feruarunt; tunc maxime, vbi fideles, vnita Christo capiti membra, per bestias laceraret, in rogis combureret, ensibus dissecaret, hostium furor. Multos hic et dilectio misellae vitae, et sauciae mortis formido, eo discriminis adegit, vt inter trans fugas viuere, quam inter confessores mori mallent. Non vna erat Christo renunciandi ratio. Libellati enim securitatem paciscebantur, emto a magistratu libello; thurificati in deastrorum focis, projecto thure, fumigabant; tradidores sacros libros coram tribunali deponebant; sacrificati pecudum extis implebant flagrantibus aras; negatores inter diras et execrationes communione cum Christo se abdicabant. * In hos omnes, iuxta ecclesiae disciplinam, grauiter animaduersum est. Communibus nempe suffragiis, a sacra societate excludebantur; et quamquam ad frugem auxilio coele-

* * *

coelestis gratiae redirent, non tamen licebat illis ad diuini sermonis auscultationem accedere; nisi certissima mentis immitatae specimina edidissent, et pristini reatus veniam, inter lacrumas et singultus, publice a fidelibus efflagitassent; ubi tandem post diuturnum seriae poenitentiae exercitium, licentiam impetrabant fruendi sacro epulo; hunc autem fauorem lapis ecclesia semel tantum gratificata est. ** Quae seuerior disciplina postea adeo invaluit, ut de nimio in poenitentes rigore multi sint conquensi.

* Plinius ad Traianum, Epist. X. 97. Propositus est libellus sine autore, multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos, aut fuisse, cum praecunte me Deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc iusseram, cum simulacris numinum, affere, thure ac vino supplicarent; praeterea male-dicenter Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt reuera Christiani.

** Ambrosius de poenitentia L. II. c. X. Merito reprehenduntur, qui saepius agendum poenitentiam putant, qui luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent poenitentiam, iterandam esse non putarent: quia sicut unum baptismum, ita una poeni-tentia. vid. Iosephi Binghami Origines ecclesiasticae Vol. VIII. p. 158. f.

§. V.
Sed temporis, quod tum irruit, accidebat iniuria, ut disciplina inter Christianos tanta adhuc seueritate ad-ministrata sensim deficeret, et sublato yisu, abusus rema-neret, isque varius: aut enim in poenam degenerabat,



inimico in publicae indignationis crudele instrumentum; * aut loco peccantium, ab ecclesia segregabantur, ex animo veritati inimico, integri vita scelerisque puri, veritatis testes; aut in nundinationem sanctissimum institutum per auri sacram famam abibat; quae negotatio, vt cordatioribus omnibus valde displicuit, beatum Lutherum maxime excitabat, vt nihil, pro tuenda Christi doctrina et antiqua ecclesiae disciplina intentatum relinquere, cum diuino nutu, opus in sacris instaurandis diu desideratum aggredieretur, quo et illud effectum est, vt aduersarii eius postea cautius mercari didicerint. **

* Inter Germanos adhuc gentiles, hunc morem olim iam obtinuisse, Caefar testis est, de bello Gallico VI. 13. Si qui aut privatus aut publicus, Druidum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est grauissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum et scelerorum habentur, iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugient; ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis potentibus ius redditur, neque honos illus communicatur.

** Praeius quectus omnes, pro indulgentiis consequendis, vnde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse, statuit Conc. Trid. Sess. XXXV. p. 303.

S. VI.

Animosus profecto ecclesiasticae disciplinae, Luthe-
rus erat Vindex et custos. Vindicis verba interpretamur,
quibus ad minorem cateschesin praefatus, impios a coetu
puriori

puriori eiiciendos poscit, iurget, obtestatur. Custodis
 exemplum praebuit, cum ob auditorum in alma Len-
 corea quorundam proteruiam, solus, familia reicta,
 abitum pararet, nunquam redditurus, nisi amicorum
 precibus et ipsius diui Electoris suasu fuisse victus.^{*}
 Monebis forte disciplinam iterum passim collapsam esse:
 dicas hoc et doles; nos etiam illud dicimus et plora-
 mus.^{**} Desiderabis tantae iacturae caussas. Ex pluribus
 saltim aliquot recensebimus. Referimus huc intestinas
 in ecclesia nostra dissensiones, quae agmine quasi facto,
 postquam Lutherus ad coelites transierat, eamdem tur-
 babant. Tunc vel fidissimis Iesu seruis eo maxime adni-
 tendum erat, ne sanior doctrina tot insidiis impetita,
 detrimentum caperet, quae eorum cura impediebat, quo
 minus de custodienda disciplina satis possint esse solliciti.
 Calamis dimicantium, nimis interdum acutis ferias indi-
 cebant nudati belli tricennialis gladii. Ancipiuntur
 a tempestate de ipsa ecclesia eiusque libertate, non raro actum
 videbatur, et verebantur pii, ut inter duras pacis ex-
 spectrandae conditones, etiam credendi leges immisce-
 rentur. Iustissima haec iudicia, ut solent, incipiebant
 a domo Dei, templa diruta, doctores electi, scholae
 dispersae, magistri exules; parca diuini verbi praedicatio,
 disciplina nulla, cuius inter arma leges filebant. Habet
 itaque secundam collapsae disciplinae caussam; tertiam
 nunc proferam nec ne? dubius fere haereo. Latet illa
 in clandestinis multorum suspicionibus ac si doctrinae
 puritati minus fauerent, quibus disciplinae in ecclesia
 defectus curae est ac cordi. Nullius equidem, qui his
 deli-



deliquisse censetur, patrocinium in me suscipiam; cum mihi sit persualissimum, sine veritate, pietatem non esse genuinam, et sine pietate veritatem non diu retineri. Mala auxit subsecuta morum mollities, quae ordinem paullulum archiorem, ceu onus maius imbecillitate humana, et naturali, quam somniant, libertati, inglorium auersabatur. Cumulauit denique mala, nouella, quae in foro primum percrebuit, opinatio, disciplinam ecclesiasticam redolere obsoletos errores, et acetofas esse veteris fermenti reliquias.

* Seckendorff in Commentario de Lutheranismo L. III. Sect. 32.
p. 581. f. Anno 1545, mense, vt videtur, Iulio, Lutherus, veluti animi caufa, Witteberga egressus est; rationes discessus ipse exponit in litteris ad vxorem, vbi male ominatur vribi, ob prauam disciplinam. Idem testantur Collegae in Epistola ad Electorem; scribunt enim, sibi proteruos iuuenum mores vehementer displicere, et disciplinam omnibus viribus promoturos esse, spondent.

** Audiamus Moshemii querelas, Instit. Histor. Eccl. Seculo XVI.
p. 736. f. Antiquum ius et a prima rerum christianarum aetate, ad nos ductum, improbos communione sacrorum arcendi, ecclesia haec sordibus purgare, et ad primam integratatem suam reuocare, primum studebat. Neque hoc seculo magnopere restitit aliquis, ne factorum ministri, eo moderate et sapienter uterentur. Procedente vero tempore, tantum de eo paulatim detractum est, hodie vt vix umbram eius, plerisque in locis inuestigare liceat.

§. VII.

§. VII.

Caussas hasce, si quis cum euentis suis, vt in rerum
gestarum recensione omnino decet, sedulo contulerit, illi
quaestio, cur disciplina in ecclesia nostra, inter Germanos
cum primis, passim remiserit? facilissima erit diiudicatu.
Quod tamen in illum sensum rapi nolumus, quasi plane
cessauerit; veneramur potius optimum Seruatorem, eccle-
siae nutricium, cuius beneficio contigit, vt nunquam de-
fuerint, qui de disciplina, vbi florebat, melius firmando,
et vbi disparere videbatur, reducenda anxie cogitarent,
in agendi modo saepius quidem diuersi. Alii omnem
curam, vt molestiam a se auerterent, magistratui relinque-
bant, qui pro ea, qua valerer auctoritate, malis hisce
optime mederi posset; affirmabant contra aliis, ad solos
verbi diuini ministros hunc pertinere laborem, et in hume-
ros eorum, sub aerumnarum mole, tantum non fatiscentes,
etiam illud onus deuoluebant. Sine arbitro haec, si qua
est controuersia, dirimi potest. Operae sunt inter magi-
stratum et ecclesiae ministros, in administranda disciplina,
diuisae; * suum igitur cuique tribuendum, quod in indice
huius scriptionis iam monuimus.

* Buddeus, at quantum mihi venerandum nomen! in Instit. Theol. dogm.
Tom. II. p. 1761. Disciplina ecclesiastica, vt a poena ciuili magnos
pere differt, ita eam ecclesiae propriam esse, lubenter fatemur.
Supremi tamen imperantis est, despicer ut recte administretur,
neus aut prorsus negligatur, aut nimis rigide exerceatur.

§. VIII.

Auxilium ecclesiae eiusque ministris, a magistratu in
administranda disciplina exhibitum, brachium seculare

B nuncu-



nuncupamus.* Multa sunt, eaque insignia, quae inde in sacrum coetum beneficia redundant, alia quidem in ipsam ecclesiam, alia in illius ministros. Ecclesia magistratui, ut principi et primario membro suo, in acceptis refert, vigorem disciplinae, nouis subinde legibus stabilitae, quae neglectionem vetant, limites definit, abusum morantur. Et suprema haec in republica auctoritas, Christi seruis opitulatur, dum, qui ex auditoribus, ob morum prauitatem, monendi, amicissimum colloquium, ad quod blande saepius invitati, friuolo obtentu detrectant, vt ita adhortationes sibi tantopere profuturas, eludere possint, quid? quod eo usque interdum ferociunt, vt monitoribus asperrimi, quando ad increpationes praefertim ventum est, de lite illis intentanda minentur. Ecclesiae tunc ministri bonae caussae confisi, ad haec ex pelui fulgura, non adeo palpitant, probe gnari, simul ac magistratui innotuerit, auditorum, qui ad duritatem lapidescere videntur, animi impotentia, quod publico iussu, licet opiniosissimi forent, ad officium sint redigendi. Sic legitimus brachii secularis usus patescit, quo proteruiae peccantium frenum iniicitur, vbi peccatis peccata addendo, exitium suum accelerare satagunt. Interim Iesu serui, pro iis vota faciunt ad benignissimum Seruatorem, velit gratiam suam inaccessis eorum cordibus insinuare.

* Observat Fleurius Tom. XIII, hist. eccl. in dist. prael. §. 16. abusum brachii secularis, scilicet non raro multos implorasse illud, contra refractarios, poenitentis, poena loco indictis, se submittere recusantes, inquit enim: *Cetoit bien ignorer la nature de la penitence, qui consiste dans le repentir et dans la conversion du coeur.* v. Boehmerius eccl. Pr. Tom. V. p. 780.

§. IX.

§. IX.

Efficacitatem verbi diuini in cordibus hominum a Spiritu sancto deriuamus; eius vero operationem, scriptura digito illius adtribuit, siquidem more humano, debilitatem nostram adiutura, loqui amat. * Instauramus igitur digito diuini Spiritus disciplinam ecclesiasticae, si omnem nostram in reducendis ab interitu peccatoribus curam, ad sacrarum litterarum ductum dirigimus. Vbi quidem ita nobis versandum est, ut et regulas, quas obseruemus, inde depromamus, et exempla ibidem obuia, ad regularum illustrationem curate accommodemus. Ita moniti nostram non exspectabunt increpationem, aut a sacris segregacionem a magistratu decretam.

* Rationem denominandi defumimus, ex Luc. XI, 20 et Match. XII, 28. locis inter se collatis, vbi eleganter est, quam que hic omittatur, annotatio Petavii Theol. dogmar. Tom. I. libr. V. c. IX. §. 3. Potest et digitii similitudine summa efficientiae diuinae faciliter exprimi, quea circa laborem et difficultatem, solo imperio, et quasi extento digito, quicquid libitum est, peragit, ac dicto audentem naturam habet; tum etiam exacta et exquisiti operis effectio potest intelligi, cum digitii plurali numero virgantur. Nam quea rudiora et minime affabre facta sunt, sola manus impulsi perficiuntur, quea autem elegantiora sunt, et accuratiorem industriam postulant, ea digitis elaborantur. Psal. VIII, 4. et Paul. dentius:

Nempe manus Domini corpus mortale, lutumque
Compositum digitis.

§. X.

Si cui exactionem vitae suae, ad mandata diuina, quae migrasse videtur, consulimus; illud consilium dicitur admonitio, qua in disciplinae ecclesiasticae exercitio ordinatur. Regulas, quas hic attendisse iuuat, strictim recensebimus:

B 2

Augu-



Augusto Seruatoris nomine admonitioni nostrae, invictum robur addendum est. Sicut enim pro domino legatione defungimur; ita nos summa eius, qua pollet, auctoritas, munit, quoties peccatores adhortamur, ut se Christi peculium esse, meminerint, quod sibi cruenta morte acquisiuit.

Argumentum in admonitione maxime stringens a misericordia Dei repetendum. Pandenda sunt Iesu ex cruce pendentis viscera, diuinissimo affectu aestuantia, vt, qui inimicitiam aduersus eum, nondum deposuit, intensum, peccatorem vnumquemque ad se trahendi, desiderium, introspicere queat, in corde cerae instar colliquecente.

Adhortationem vnam comitetur altera, hanc tertia excipiat et plures sequantur. Veritatis fastidio nos auscultare detrectat, qui a malo quod perpetrauit, ad peius dreditur; perit ergo sua culpa; forte et nostra. Num enim qui semel dixit, postea vero vel ex incuria vel lassitudine cessavit, animam liberaturus sit? eam quidem interrogationem, interno cuiusvis conscientiae tribunal, diudicandam committo. *

Deueniamus ad exempla, quorum praestantissimum in Seruatore deprehendimus, cuius admonitiones ex tenerissimo in homines, sibi inimicissimos, amore prouenisse constat; immo haec animi sensa, sub amoenissima imagine, gallinae nimirum, congregantis sub alas pullos, depingit, et ingemiscit: Noluitis!

Adducamus alterum et quidem Petri exemplum. Is tertium a domino monitus, tamen se periculo pereundi
com-

commisit; ex quo aspectu magistri, qui eum inter tot hostium insultus, blande intuebatur, est liberatus; et sic didicerat, admonitiones e fonte salutis, Christo saucio, esse huiusmodi. Caussam hanc ipse prolixe perorauit, in primo, post diuini Spiritus effusionem, sermone, felicissimo successu, ut auditores non quidem minando, sed monendo corde compunceri, Iesu doctrinam intra pectus admitterent.**

* Regulas hasce collegimus ex 2 Corinth. V, 20. Rom. XII, 1.
1 Tim. IV, 15.

** Exempla prostant Matth. XXIII, 37. Actor. II, 36. f. Grauis in admonendo cumprimis est Cyprianus ita de lapisi, p. 124. Nonne ara illa, quo moriturus accessit rogos illi fuit? Nonne diabolus altare, quod foetore tetro fumare ac redolere conspicerat, velut funus et bustum vitae horrere et fugere debebat? Quid hostiam tecum miser? quid victimam supplicaturus imponis? Ipse ad aras hostia victima ipse venisti. Immolasti illic salutem tuam, spem tuam; fidem tuam, funeris illis ignibus concremasti!

§. XI.

Nunquam desunt, qui serias nostras interdum et iteratas admonitiones aspernantur; illecebris scilicet peccatorum adeo capti, ut creberrima eorum repetitione habitum contraxisse, merito arguantur. In hos iuxta tenorem disciplinae ecclesiasticae, utimur increpatione, quae est significatio certissimi exitii, iis facta, qui resipiscere nolunt. Hac in opera, quamvis difficultate, fine, quem optamus, non excidemus, obseruatis, quas diuinæ litteræ nobis suppeditant, regulis.

Increpacio coniuncta esto severitate, at sine iracundia. Negorum hic nobis facessunt improbi, qui ad exhortationes saepius repetitas fere occalluerunt. Interim non

B 3 opus



opus est stomacho; sed corde ad lenititudinem Christi composito. Iubemur in publice peccantes grauiter animadvertere, exhibitis duobus minimum testibus, qui nobis et consiliis et precibus succurrant; nunquam tamen obvilcamur moniti illius: seruum Iesu decet esse mitem.

Nec timide, nec tumide nos geramus in peccatoribus increpandis. Non enim dedit nobis Deus timiditatis spiritum; sed fortitudinis, ad munus sacrum digne obeundum. Tumorem animo exutiet, propriae infirmitatis conscientia, et interdicta Iesu fernis in animas dominatio.

Prouocamus hic ad Paulli exemplum. Fortiter is Petrum redarguebat, qui se alienigenis subduxerat, circumcisos veritus; quod tamen fraterni amoris inter eos vinculum non laxauit.

Quod in vno fecit; illud etiam inter plures tentabat. Calamo vindice vititur, popularibus suis, implacabile in Seruatorem odium, reprobraturus; ita tamen, vt oculos lacrumis madidos, in se ipsum conuerteret, cum olim in Deum maledicus, infestus et contumeliosus fuerit. *

* Vid. Marth. XVIII, 16. 1 Tim. V, 10. Gal. VI, 1. de regulis, et de exemplis Gal. II, 14. 2 Petr. III, 15. Quod durities cordis et incrationes saepe repellat Bernardus testatur Tom. I. Op. p. 415. Quid ergo cor durum? ipsum est, quod non compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus: minis non dedit, flagellis duratur.

§. XII.

Adhuc inter assiduas preces, et difficiles anxiae mentis, de sua salute sollicitae, obluctationes, et monitos et increpatos, ad coelestes in coena dominica dapes admittebant, fidi

fidi beneficiorum diuinorum dispensatores; non sine dolore tamen eos vident, qui fidem de sui emendatione, saepius datam fallant, et in peccata prolabantur noua, prioribus grauiora. Illis itaque moram iudicunt, ut tempus lucentur, legitimae praeparationi destinatum, priusquam ad sacrum epulum accedunt. * Haec actio, quae suspensionis nomine venire solet, est indulgentia morae increpatis, ut tandem resipiscant, concessa. Faciunt huc regulae, quae insequuntur.

Oportet nos ferre improbos, et non ferre. Illae si haec dici possint contradictionis principio. Ferendi, si qua spes de eorum ad saniores mentem reditu, elucescat. Non ferendi, si incautis, vultus artificio, inter errores fidei et vitae passim sparsos, imponant. non mut

Sedulo cauendum est, ne alieni peccati culpam participasse videamus, dum flagitioso firmatam cum Deo pacem spondemus, eique inter conuicias in domini coena, locum concedimus, quem tamen, ut annosum diuinae legis transgressor, et ipsi nouimus, et plures norint. Accubitum, profecto! illius, in capiendo inter familiares cibo, primi Christiani, non dedecus solum, sed crimen iudicassent. **

Exempla neque hic nos destituunt. Ipse dominus nobis praecepit, ut immorigerum, licet coram tribus testibus increparus sit, ecclesiae denunciemus, eiusque consortium prorsus diffugiamus; donec meliora, quae saepe audivit, consilia admittat.

Sic quoque Iesu legatus Corinthiis grauiter succenser, cum hominem, incestis cum nouerca nuptiis, pollutum, in eorum societate tolerassent, quia fratrem simulauerat, eisque



eisque iniungit, vt de medio eorum tollatur, qui infandum facinus commiserat. Quo feruore effrenis impudici animus adeo percussus, vt postquam infame connubium disrupterat, diuinam gratiam sponoris sanguine partam, inter grauissimos conscientiae terrores, effagitaret, et in sacram fidelium coetum iterum admitteretur.

* Ne cui nimium videatur illud, quod hic suademus, monuisse sufficiati procul adhuc abfumus, ab eo feruore, qui alii, etiam post admissa laxiora principia, obtinebat. Pater hoc ex Petri de Poenitentia, Tom. IV. Op. libr. II. c. IX. §. 14. Quamvis tempore Augustini, ecclesia multum remisisset, de rigore seculi tertii, attamen pars aliqua eius severitas remanserat, quarenam, postquam semel quispiam, delicti causa, poenitentiam publicam adierat, si iterum peccaret, nunquam poetea, ad communionem et absolutionem recupereret.

** Concinnaimus regulas ex 2 Timoth. II, 24, Apocal. II, 11. 1 Tim. V, 22. Exempla prostant Matth. XVIII, 17. f. 1 Cor. V, 1. Huc refero Cypriani verba de lapis, p. 158. Mortiferos, idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faecibus, et contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt.

S. XIII.

Hoc ordine, dum in disciplina ecclesiastica procedimus, instauramus eam digito diuini spiritus, et quidem magis, quam brachio seculari. Utimur equidem etiam brachio seculari; sed utimur eo, vt beneficio; magis tamen digito diuini spiritus. Neutiquam ergo vnum alteri opponimus, at subordinamus. Grato, vt decet, animo agnoscimus, nos multa debere brachio seculari, plura tamen digito diuini spiritus.* Vt enim per hunc spiritum in omnem veritatem ducimur et viuidissimo gratiae

gratiae diuinae sensu exhilaramur; ita ab eo vires exoramus, omnia Seruatoris caussa conandi; vbi in disciplina ecclesiastica, in animarum commodum aliquid efficere possumus. Hinc facile appetit, nos in ecclesiae ministro supposuisse securum, in quo degat, gratiae statum; qui omnino requiritur, si regulas, quas supra recensuimus, secundum Dei intentionem, iuste applicare velit. ** Vnum, quod addam, illud est: Oratio, meditatio, tentatio faciunt Theogum, tanto nomine dignum; et disciplina ecclesiastica rigorosi examinis vicem subit, quos vniuersisque hic profectus fecerit. Multa oratione opus est, si quem monemus, vt, qui habet cordis claves, animum diu saepe obseratum aperiat, et adhortationem nostram, diuina virtute comitetur. Diutinae meditationis exercitium praebet increpatio, vt inuolucra peccati, quibus tegi solet, detrahamus, et peccanti effugia, ingeniose quaesita, paecludamus. Tentatio sua sponte succedit, si cui suaserimus, vt dominica mensa tantisper abstineat; verendum enim esse, ne rapto Iesu corporis et sanguinis beneficio, committat sacrilegium.

* Acontius de stratagematibus Satanae lib. V. p. 250. officium magistratum in disciplina ecclesiastica ita describit: Abusum periculum, tanti facere non debent magistratus, vt rem ab ipso domino institutam impediant; sed explorent subinde, quam decenter, quam sancte usurperent, atque vt iniquis conatibus, magna severitate resistant, inferiore ne arbitrentur, sua dignitate, curam. Addit de ministris: In eo, qui ad alterum corripiendum accedit, bona omnino requiritur opinio; praecipue vt sit christiana charitatis ac mansuetudinis nomine, valde commendatus; cui etiam non supercilium, non tetricus severusque vulnus, non tardus incessus, non vilium externum adiumentum; sed conspicua morum sanctitas, auctoritatis aliquid conciliauerit.

** Ven. Frefenius in dissert. theol. de Prudentia pastorali, ad signa huius temporis composita P. XVI. Collect. pastor. p. 244. Duo sunt, quae ministri ecclesiae, et possit et velle debent; si conscientiae



tiae hic consulere satagunt, agere scilicet et pati. Qui enim non
vult, si potest, aut non potest, si vult, agere, quod suum est, de-
formabit potius, quam reformabit disciplinam. Qui vero et potest
et vult agere, agitque re ipsa et strenue secundum conscientiam
suum, illum et posse et velle pati, necesse est.

§. XIV.

Digitio diuini spiritus nobis etiam ea ostenduntur sub-
sidia, quae in disciplina ecclesiastica insignem praestant
vsum. Quorum primum est, labor ut ex illius exercitio
meliora sperare possimus. Fiet istrud, si in omnibus, quos
pro concione habemus, sermonibus sacris, immensas
fauoris diuini diuitias edisseramus, facundissimi maxime,
vbi aeternum gratiae foedus, Christi sanguine sanctum
declaramus; addito simul, quem ipse Deus constituit,
salutis ordine, fide scilicet in Christum, quam Spiritus
sanctus, in corde ob peccata contrito operatus est. * Hac
ratione dupli malo obuiam itur: prius est, vanissima
multorum conjectatio, quasi cultus Deo externe, et quidem
pro lubitu exhibitus, sufficeret ad consequendum futuri
aevi felicitatem. Exitiosus hic error, animis statim euel-
lirur, simul ac doctrinam, de fide inter anxiros conscientiae
terrores, producta rite cognouerint. Malum posterius
est: Inueteratum in rebus sacris taedium, inter grauissima
peccata, rectissime relatum. Homini morbo hoc affecto,
verbum gratiae eiusque sigilla vilescunt. Medelam huic
malo paramus, ex diuini fauoris abundantia, quae lan-
guorem mentibus excutere et gustum gratiae diuinae iis
restituere potest. Duplici hoc malo feliciter superato, id
efficitur, vt ii animo, ad sacrum epulum coelitus excitato,
accedant, qui ritus solemnitate, sanctissimum negotium,
optime perfecisse antea opinabantur. Isti autem, qui ob
pec-

peccandi consuetudinem, nausea rerum spiritualium laborabant, contremiscunt, ex hoc periculo, ubi ab interitu non procul aberant, erepti, dum cogitant quantum animae damnum mensae dominicae aut contentus, aut inconsiderata ad eam accessio, iis intulerit. Vtrumque hominum genus, quod Iesu seruis non pauca alioqui suspicio exprimere solet, ad Seruatorem reuersum, magno illis est, in sacro coetu, auxilio; ** dum, quid gratia diuina in ipsis, per verbum et dignum sacrae coenae usum praefiterit, palam profitentur, aliisque exemplo imitatione dignissimo praeluent. Socias igitur fidis Domini operariis iungunt manus, et vita ad legem diuinam conformata, auditoribus persuadent, ut admonitiones auscultent, increpationes ex amore Christi deriuatas non aegre ferant, et ita suspensionem nunquam mereantur, quam disciplina ecclesiastica contra improbos exercet.

* Spenerus in consiliis lat. Parte III. p. 516. l. Agamus vniuersi, quod nostri est munera, et indehincibus precibus Domino causam commendemus suam. Si expectare volumus, ut legibus magistrorum, et vniuersali totius ecclesiae, aut maioris eius partis consensu, arque consilio, morum reformatio instituatur: seculum labetur, et votis immoriemur nostris. Alter rem tentandam credo, et mecum illi pii. Videelicet ut quisque pro modo concessae gracie in suo coetu omnia tenteret, ad quae nos nostri officii obtrinxit religio.

** Bernardus Tom. II. Op. p. 447. Quid me beatius, quidne securius, cam eiusmodi circa me vitae meae et custodes spectarem, simul ac testes? Quibus omnia mea secreta secure committerem, communicarem consilia; quibus me rotum refunderem, tanquam alteri mihi. Qui, si vellem aliquatenus deniare, non sineirent, frenarent praecepitem, dormitarem excitarent. Quorum me reuerentia et libertas excollementem reprimere, excedentem corrigere, quorum me constantia et fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem, quorum me fides et sanctitas, ad quaeque sancta, ad quaeque honesta, ad quaeque pudica, ad quaeque amabilia et bonae famae prouocaret.

S. XV.

Sic ad secundum deducimus subsidium, curam nimirum,
 ut lapsus, in quos disciplina animaduertat, fiant rariores.
 Fine hoc egregio, certe et insigni, olim potiemur, modo
 tenellas iuuentur mentes, ad diuinae legis normam effun-
 gamus. In grege enim domini, praecipua ratio habenda est
 agnorum, qui adhuc inter amplexus boni pastoris haerent:
 qui hic officio suo vel oscitantia vel segnitie desunt, caueant
 sibi ab hircorum cornibus. Arripienda igitur omnis, quae
 nobis obtingit, occasio de liberis bene merendi; quam Iesu
 seruit opportunissimam adipiscuntur, quando primum ad
 sacrae coenae ysum admitti cupiunt. * Hic labor hic opus
 est; at labor fructuosus et opus Deo placiturn. Vires,
 quae tanto negotio sufficient, non denegabit Seruator
 obnoxie rogantibus, qui infantes mercedis loco accepit, pro
 obedientia ad mortem vsque cruentam, ex foedere cum
 patre nostro. Tres hic, si libet, liberorum classes constituamus.
 Prima eorum est, in quibus signa reperimus, gratiae, quae
 sacro fonte lauatis olim obtigerat, adhuc custoditae. In
 alteram collocamus illos, in quibus equidam signa ynonis
 cum Deo sanctitae non apparent; animum tamen habent
 docilem et ingenuum, ut levitate fortassis, operationes diuini
 Spiritus inferendum impediuerint; sed malitia nunquam pe-
 nitutis excusserint: Tertiae adscribimus istos, qui et inscrinia
 et morum prauitate satis produnt, se modica aut fere nulla,
 salutis suae cura teneri. Hanc differentiam intra nosmet-
 ipsos concepram, cauti celamus liberos. Tantum enim
 abest, ut de bonis intempestive gloriemur, aut de malis
 dissidenter desperemus; ut potius ab his ordiamur, expo-
 nentes coelestia, quae iis destinata sunt, in sacro epulo bene-
 ficia;

ficia; sed haec esse cognoscenda et intenso desiderio efflagitanda. Audiunt aliqua saltim attentione, quam reliqui bono exemplo et expeditis, dum interrogantur, responsonibus ihuant. Pergimus et gravissimum illud periculum vitis quasi coloribus depingimus, quod omnes istos certissime manet, qui corde Seruatoris sanguine non lauati, ad Domini mensam accedere, non erubescunt. Spondemus liberis preces nostras ea lege, vt ipsi ad saucios Christi pedes prouoluti, sancti Spiritus auxilium quaerant, de verbis non adeo solliciti, cum Seruator in oratione non eloquentiam, sed sinceritatem desideret. Repeccimus interdum hasce obtestationes, firmissima spe freti, fore ut diuini Spiritus digito, animis liberorum inscrabantur, in perpetuam memoriam gratiae in sancto lauacro olim acceptae, quae ante primum sacrae coenae vsum omnino innouanda est. ** Omnis illud optamus, speramus a plerisque, credimus de multis, de paucis veremur, ne disciplinas ecclesiasticae exercitio indigent.

* Tertullianus de poenitentia c. VI, p. 145. Nemo sibi adulterat, quia inter auditorum tyrocinia deputatur, quasi eriam nunc sibi delinquere liceat. An aliis est instinctis Christus, aliis audientibus?

** Chemnitius in Ex. Conc. Tr. P. II. de sacramentis p. 298. Hoc primitua ecclesie significare voluit, quando adultos recens baptizatos statim a baptismo deduxit ad communionem corporis et sanguinis Domini. Reconciliatione quidem Dei et remissio peccatorum, quomodounque confertur, eadem est ex plena, quod ad Deum attinet. Quia vero magna est nostra infirmitas, et Deus diues est in misericordia; non igitur vno tantum modo, sed per media, quae ad hunc vsum instituit, vnu gratiam suam conferre, applicare et obfignare: conf. omnino Scharffii ratio de ecclesia Luhensi reddit, p. 402. f. et 459, vbi inter salutares preparationes assidue, ante primum Liberorum faciae coenae vsum publici scandali deuitationem refert; ita quidem, ut quindecim annorum fratrio, nec vnu infans sacro fonte fuerit lauatas, qui ex furtuis impudicorum amoribus originem traxisset.

S. XVI.

Supereft tertium, quod habemus, subsidium, industria efformandi fidos Iefu seruos, ex iis, qui ad sanctiora in academiis studia incumbunt. Hoc vero nomen illi solum merentur, qui excusio peccati iugo, mentem divina virtute immutata accepserunt, externa tantum honestate minus conteni; immo in noua, quae ex Deo est, vita eo progressi sunt, vt alii doctrina et vita persuadere possint, quaerendum ante omnia Dei regnum, introitum tamen in illud nulli patere, quam fide praedito, fidem vero oriri,

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

oriri, inter acutos diuinae generationis dolores; genitos autem ex Deo salutis suae per Christum acquisitae esse conuictos. Qui ita docent, et ita viuunt, locum sibi, suo quisque praecipuo iure, inter Dei operarios vindicant, et officio sacro admoti, cum aliis ita animatis arcissimam nectunt communictatem, et viribus per fidem et preces vnitis, pro amplificando Seruatoris in animabus regno, strenui laborant, et ut disciplinæ aut collapsæ, aut titubanti consulere possint coniunctum meditantur. * Insignis eorum numerus est, qui ex Academia lenensi, ab eo, quo fundata est tempore, coetui sacro ea, quam diximus, ratione se probarunt. Hinc almae Salanae gratulamur natalem, post duo secula feliciter redeuntem, Deum precati, velit huic foecundissimo et ecclesiae et reipublicae seminario ex alto benedicere, ut omnes, qui ibidem animum ad varias applicant scientias, sapientia coelitus donata erudiantur; illi cum primis, quibus difficile et vel angelici humeris tremendum munus in ecclesia demandabitur. Bene ominamur coetui sacro, cuius curam, diuino nuto, olim suscipient etiam disciplinæ ecclesiasticae caussa. Nam quae illa interdicuntur, verbi diuini praeconio arguent, et vitae sanctioris exemplo prohibebunt. **

* Augustinus Tom. VII. Op. contra Parmenianum Lib. III. c. I. p. 25. Quisquis etiam contemnerit ecclesiae Dei disciplinam, ut malos, quibus cum non peccat, et quibus non fuerit, desistat monere, corriger, argere, si etiam talem perfonam gerit, et pax ecclesiae patitur, ut etiam quempiam a sacramentorum participatione possit separare; non alieno malo peccat; sed suo.

** Finiamus verbis ponderosissimis ven. Pfaffii in Originibus Iuris Eccles. p. 240. Quid igitur restat nobis, qui damnum Iosephi deploramus, qui dum vulnera ecclesiae conspicamur, ingemiscimus, qui dum malo medelam afferri haud posse obseruamus, in lacrumas et gemitus toti soluimus? Primo quidem faciemus semper est, Domino vires dante, quod possimus precessere et monita, et quicquid est sanctioris disciplinæ densandum intendendumque fortiter, donec Dominus veniet. Porro patientia sanctorum hic est, Apoc. XIII, 10. XIV, 12. exerceenda, idque non affusis legalibus increpationibus, quae impotentiam animi subinde ostendunt, sed affusa lenitate et manterudine, affuso amore illo, qui capita hominum demulcere aptus est, affuso et zelo vere diuino, qui patientiam illam diluat roburque illi et vim, ad tangenda corda animosque peccantium addat. Denique ubi imperfectionem huius aeu*is*, ubi mundum, qui in malo cubat et corrigi nescit videmus, anhelanda sunt beata illa regna, quae e longinquò conspicimus, eaque spe, ea fide, illo desiderio iam praeguitanda, qua quicquid est in nobis tristitiaæ ac aegritudinis, facile educatur, corrigitur et cessat. Eia! veni Domine Iesu! Apoc. XXII, 20.

Pon Yc 476


ULB Halle
005 579 49X

3



KD 78





16

B / G.

DISCIPLINA ECCLESIASTICA
DIGITO MAGIS DIVINI SPIRITVS
QVAM BRACHIO SECVLARI
INSTAVRANDA
PAVCIS DISSERIT

INCLVTAE
ACADEMIAE IENENSI
NATALEM

POST DVO SECVL A

D. II. FEBRVAR. CIO IO CC LVIII

FELICITER REDEVNT EM

GRATVLATVRVS

D. SIGISMVNDS BASCH

SACRORVM IN AVLA, VRBE ET DVCATV VINARIENS
ANTISTES.

VINARIAE,

LITTERIS MVMBACHIANIS.